

*fideliū confirmanti tribui debere: nec enim ista pugnant, cū dicimus hoc esse penes Scripturam, & penes Spiritum sanctum: nam dicitur Spiritus sanctus esse summus interpres, quia ut certò simus persuasi de verò Scripturæ sensu, oportet nos per Spiritum sanctum illuminari, alioquin nunquam illam πλ.νεροεζια, quæ fidelium mentibus inest, assecuturos, quibuscunque demum mediis utamur. Et hæc est interna persuasio, quæ nos tantum attingit: nec enim hōc modò alios, ut sensum & iudicium Spiritus sancti recipiunt, cogimus. Dicitur autem Scriptura ipsa, vel Spiritus sanctus in Scripturâ loquens summus interpres & iudex respectu externæ persuasionis. Idèdque ut aliis persuadeamus, ad externum hoc Scripturæ iudicium veniendum est.*

2. Atque hæc tam fusè libuit adferre, partim ut Reformatorum sententiam inde elicere atque proponere possemus, partim ut pateret quomodo ipsimet illam exprimunt atque definiunt, quod sanè satis obscurè atque confusè, meò quidem arbitrato, præstant. Etenim priores, nullâ factâ mentione internæ aut externæ persuasionis, nunc Scripturam, quæ vox Dei, aut Spiritus S. est, nunc Deum, aut Spiritum S. in Scripturis loquentem nominant: quibus appellationibus nihil aliud, quàm Scripturam ipsam intelligere mihi videntur; adeoque statuere, illam esse sui ipsius interpretem. Posteriores autem, distinguendò inter internam & externam persuasionem, hanc Scripturæ, illam Spiritui sancto assignant, atque hoc per Spiritum S. in Scripturis loquentem denotare videntur, quamvis mox iterum Scripturam & Spiritum sanctum in Scripturâ loquentem confundant. Nos verò, quantum assequi ex dictis possumus, hanc ipsorum putamus esse mentem, nempe S. Scripturam certam esse infallibilemque se ipsam interpretandi normam, atque regulam, quâ, tanquam instrumentò sensibus obviò, verus & genuinus divini verbi sensus externè non tantum erui ac demonstrari, sed etiam erutus expendi atque explorari debeat: At verò fidelium neminem de eò pienè ac planè posse in animò suò esse persuasum, nisi Spiritus S. accedat testimonium, qui, tanquam causa interna, sensibusque non perceptibilis, illorum cordibus obsignet interpretationis veritatem. Atque hæc si illorum sit sententia, quamvis apertam non involvat contradictionem omni tamen difficultate non caret: Si enim post Scripturam ipsam ad plenam interpretationis persuasionem insuper requiratur Spiritus sanctus, non erit illa sufficiens atque infallibilis norma, qualis esse ab illis statuitur, nempe cui competunt omnes, in verò interprete requisitæ, quas suprâ enumeravimus, conditiones. Etenim si in interpretandò non possit errare, nec provocationi locum relinquere; sed homines certâ cognitione imbuere, & ad assensum cogere, non insuper opus erit Spiritus S. testimoniò, quid enim quis ultra ista expetere potest? & si opus est Spiritus sancti testimoniò, ad assensum non poterit cogere,